

Anno 1702
S. ROMVALDVS ABBAS

1765

DIE XX. OCTOBRIS.

IN FESTO
S. JOANNIS CANTII
CONFESSORIS.

MISSA.

Introitus. *Eccli.* 18. 12.

MIſerátio hóminis circa próximum; Miſericórdia autem Dei ſuper omnem carnem. Qui Miſericórdiam habet, docet & erúdit quaſi paſtor gregem ſuum. *Pſalmus* 1. 1. Beátus vir, qui non ábiit in conſílio impiórum, & in via peccatórum non ſtetit, & in cáthedra peſtiléntiæ non ſedit. ℣. Glória Patri, &c.

Oratio.

DA, quæſumus omnípotens Deus: ut ſancti Joánnis Confeſſóris exémplo in ſciéntia Sanctórum proficiéntes, atque áliis miſericórdiam exhibéntes, ejus méritis indulgéntiam apud te conſequámur. Per Dóminum noſtrum Jeſum Chriſtum Fílium tuum, &c.

Léctio Epíſtolæ beáti Jacóbi Apóſtoli. *Cap.* 2. 12.

SIc loquímini, & ſic fácite, ſicut per legem libertátis incipiéntes judicári: Judícium enim ſine miſericórdia illi, qui non facit miſericórdiam: ſuperexáltat autem miſericórdia judícium. Quid próderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides ſalváre eum? Si autem frater & ſoror nudi ſunt, & indígeant victu quotidiáno, dicat autem áliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacímini, & ſaturámini; non déderit autem eis quæ neceſſária ſunt córpori, quid próderit? Sic & fides, ſi non hábeat ópera, mórtua eſt in ſemetípſa.

Graduale. Pſalmus 106. 8. Confiteántur Dómino miſericórdiæ ejus; & mirabília ejus filiis hóminum. ℣. *Pſalmus* 106. 9. Quia ſatiávit ánimam inánem, & ánimam eſuriéntem ſatiávit bonis. Allelúja, allelúja. ℣. *Proverb.* 31. 20. Manum ſuam apéruit ínopi, & palmas ſuas exténdit ad páuperem. Allelúja.

✠ Sequéntia ſancti Evangélii ſecúndùm Lucam. *Lucæ* 12. 35.

IN illo témpore: Dixit Jeſus diſcípulis ſuis: Sint lumbi veſtri præcíncti, & lucérnæ ardéntes in mánibus veſtris, & vos símiles homínibus expectántibus dóminum ſuum, quando revertátur à núptiis: ut, cùm vénerit, & pulsáverit, conféſtim apériant ei. Beáti ſervi illi, quos, cùm vénerit Dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quòd præcínget ſe, & fáciet illos diſcúmbere, & tránſiens miniſtrábit illis. Et ſi vénerit in ſecúnda vigília, & ſi in tértia vigília vénerit, & ita invénerit, beáti ſunt ſervi illi. Hoc autem ſcitóte, quóniam ſi ſciret paterfamílias qua hora fur veníret, vigiláret útique, & non ſíneret pérfodi domum ſuam. Et vos eſtóte paráti, quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium. Job 29. 14. Juſtítia indútus ſum, & veſtívi me, ſicut veſtiménto & diadémate, judício meo: óculus fui cæco, & pes claudo: Pater eram páuperum.

Secreta.

HAs, quæſumus Dómine, hóſtias ſancti Joánnis Confeſſóris tui méri-

tis benígnus assúme, & præsta; ut te super ómnia, & omnes propter te diligéntes, corde tibi & ópere placeámus. Per Dóminum, &c.

Communio. Lucæ 6. 38. Date, & dábitur vobis: mensúram bonam, & confértam, & coagitátam, & supereffluéntem dabunt in sinum vestrum.

Postcommunio.

PRetiósi Córporis & Sánguinis tui Dómine pasti delíciis, tuam súpplices deprecámur cleméntiam: ut sancti Joánnis Confessóris tui méritis & exémplis, ejúsdem charitátis imitatóres effécti, consórtes simus & glóriæ: Qui vivis & regnas.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS.

AD enixas humillimasque preces Serenissimi Stanislai Augusti Poloniæ Regis, Regiæ Celsitudinis, Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Benedicti Enrici Ducis Eboracensis Episcopi Tusculani, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii, Primatis, atque Episcoporum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lythuaniæ, Collegiorum Advocatorum Sacræ Consistorialis Aulæ, Parochorum, & Cleri Urbis, nec non Lectorum & Professorum Romani Archilicæi, atque Academiæ, Sanctissimus Dominus Noster CLEMENS PP. XIV. *ad relationem mei infrascripti Secretarii, audito voto Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Chisii Sac. Rituum Congregationis Præfecti, R. P. Dominici de Sancto Petro Fidei Promotoris, meique infrascripti Secretarii, Officium de Communi Confessoris non Pontificis* S. JOANNIS CANTII *Presbyteri Sæcularis, & in Alma Universitate Cracoviensis Academiæ Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, cum Oratione & Lectionibus secundi Nocturni die 21. Martii 1739. Hymnis ad primas & secundas Vesperas, ad Matutinum & Laudes die 19. Decembris 1767. nec non Missam propriam die 21. Januarii 1769. jam à Sacra Rituum Congregatione pro dicto Regno Poloniæ, & magno Ducatu Lythuaniæ adprobatis, ab omnibus utriusque sexus, qui ad horas Canonicas tenentur in Urbe, atque in Universa Militante Ecclesia singulis annis die vigesima Octobris sub Ritu semiduplici recitari, & Missam respectivè celebrari, atque in Breviario & Missali Romano inseri præcepit; Et ita servari mandavit. Die 8. Septembris 1770.*

Fl. Card. Chisius Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Macedonius S. R. C. Secretarius.

VENETIIS MDCCLXXII.

EX TYPOGRAPHIA BALLEONIANA.

Superiorum Permissu.

Brev. SD 136 (6)

Biblioteka Jagiellońska
stdr0031890


INRI